DE BUDDHAISTARUM DISCIPLINA.

DISSERTATIO

QUAM EX AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

VRATISLAVIENSIS

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXI. JUNII A. MDCCCXLVIII.

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

ADOLPHUS WUTTKE

VRATISLAVIENSIS

CONTRA ADVERSARIOS

LUDOV. SCHNEIDER, STUD. PHILOS.

RICH. GEISLER, CAND. THEOL. EV.

AUG. BERINGER, CAND. MINIST.

VRATISLAVIAE

TYPIS BREHMERI ET MINUTHI.

Prooemium.

Natura ingenii humani in singulis hominibus non alia est atque in genere hominum universo, et qua ratione singulorum hominum ingenii vires magis magisque explicantur et elucent, eadem illud quoque ingenium, quod in singulis gentibus est, per saecula explicatur et ad altiores gradus pervenit.

Ingenii vires paullatim crescunt et explicantur. Conscientia sui infanti nondum est, postea vero paullatim excitatur atque expergefit. Prima igitur aetate homo se ipsum nondum scit nec cognoscit, sed res externas; nec igitur cogitans se ipso cognito ad rem, sed rebus externis cognitis ad se ipsum pervenit; nec ex se ipso cogitata procreat, sed res in mentem excipit; nec agit, sed agitur, nec cogitans efficit quaedam, sed quiescit. Qui status animi quiescentis, excipientis et capacis prior est tum in singulis hominibus, tum in genere humano; superior ingenii gradus est status conscientiae sui. In genere igitur humano ille status, in quo homines sui ipsorum non vere conscii sunt, sed rerum externarum, in quo non libere agunt sed potius quiescunt et rebus moventur, antecedit statui illarum gentium, quae sui ipsarum vere sunt consciae, in quibus singuli homines liberi ac suae potestatis sunt.

Illius prioris gradus natura haec est, ut res prior sit homine cogitante et agente, ut res dominetur in hominem, ut homo res sibi objectas et externas solas vere exstare putet, neque vero se ipsum liberum ac suae potestatis aestimet. Natura igitur, qualis homini objecta est, natura, cui non est conscientia, vera est, homo vero minus verus est, nec sui vere conscius, sed sibi ipse alienus; non ipse, quae libere cogitavit, in natura externa libere efficit, sed se ipsum naturae vi moveri et agitari patitur, et de se ipso decedens se totum tradit potestati naturae; natura igitur externa dominatur in hominem, eumque vincit; neque homo per se ipsum quidquam valet, sed eatenus tantum, quatenus totius naturae pars est; quatenus vero singularis homo est, eatenus sine jure. — Gentium, quae hoc in statu versantur, mores, si excoluntur, quieti, tranquilli et placidi esse solent, quasi muliebres. Qua de caussa iis non respublicae liberae sunt sed civitates machinae cuidam similes, ubi singulis partibus et hominibus esse liberis et suae potestatis omnino non licet; cives omnino et in omnibus rebus subjecti sunt civitati universae, legi cuidam necessariae et universae, qua ad unum omnia civibus facienda destinantur, ita ut fere nihil permittatur voluntati hominum; id quod in Sinarum moribus apparet. Lex et mos dominationem habent, qua omnes vivendi rationes formantur et destinantur, nec ulli eam evitare licet. Forma in omnibus rebus summam tenet potestatem, nec potest mutari; qua de caussa gentium, de quibus dicimus, mores per multa saecula fere nihil mutati sunt.

Cui cultus atque humanitatis statui tres gradus subsunt.

Primo homines naturam sibi objectam nondum totam et unam percipiunt, neque tanquam dominantem in homines venerantur, sed ejus singulas partes et vires. Colunt fulgura, arbores, flumina, alia. Qui cultus apud nos Fetischismus appellatur.

Deinde homo cogitans ex singulis rebus, quales sensibus percipiuntur, progreditur ad naturam universam, qualis mente percipitur, comprehendit naturam singulis rebus communem; non amplius intuetur rerum naturam, sed cogitat et effectorum caussas repetit. Tamen hac via ad *unum* non pervenit. Quae duo enim in omnibus rebus percipiuntur, materia et forma, in ultima quoque caussa percipiantur oportet. Natura universa non sola materia esse potest, sed materia, cui inest forma. Sola enim materia caussa rerum naturalium esse non potest, quia his omnibus forma est. Praeter principium materiale igitur cogitandum est principium formans, praeter patibile etiam agens, praeter materiam vis. Quae intelligendae naturae ratio, quam nos Dualismum dicimus, apud *Sinas* valet.

Cogitandi ratio, quae ex singulis naturae rebus perceptis ad universam naturam intelligendam progreditur, ad *unum* non pervenit sed ad *duo* principia. Quibus in duobus homo cogitans perstare nequit; quaecunque enim inter se contraria sunt, ad unum redigenda sunt, si quis naturam vere comprehendere vult; nec intellectus rationalis ex duobus, sed ex uno proficiscitur et id agit, ut in multis *unum* intelligatur. Gradum igitur cultus atque humanitatis altiorem eundemque tertium esse oportet, ubi natura non duobus principiis nitatur, sed uno, et universi mundi *unitas* intelligatur, nec amplius vis et materia, agens et quod agitur inter se contraria putentur. Qui gradus est ratio *Indorum.*

Unitatem vero omnium rerum Indi non in ingenio absoluto et cogitanti esse intelligunt, sed in natura externa, quae sui conscia non est. Quum igitur ii, qui naturam externam solam veram sciunt, neque vero ingenium liberum, praeter materiam et vim naturalem nihil tertium habeant superius illis, in quo et ex quo illa duo possint intelligi: unitas aliter non potest cogitari, nisi illorum principiorum alterum prius et superius altero ponitur, ita ut

alterum alterius caussa atque principium habeatur. Quae res quum ita se habeat, unitas illorum principiorum duplici ratione inveniri potest.

Aut enim *vis* vel agens, id, quod movet vel ponit et affirmat, quod materiam format, quod per se est, prius et verum principium habetur, ex quo alterum fluit,

aut *materia*, id, quod movetur vel formatur vel agitur et patitur, quod per se non est quidquam, quod in infinitum dividi potest, illud unum principium est, ex quo alterum fluit.

Utraque ratio unitate utitur, altera vero ex altera parte. Quae duae naturam intelligendi rationes apud Indos valent. Indi ex Dualismo ad unitatem procedunt; illa duo principia non amplius praeter se et extra se sunt, unum *et* alterum, sed alterum alteri subjectum, alterum super alterum; natura omnium rerum *una* est. Duo a Sinis intellecta *naturae* principia apud Indos duarum doctrinarum vel disciplinarum principia facta sunt, quarum utraque *unitatem* petit.

Quarum disciplinarum altera hoc fere modo explicatur. Vis, id, quod agit, unum et verum *est* et solum vere *esse* potest; hoc est principium, ex quo alterum et contrarium, materia, res finitae et multae fluunt. Illud exstat, hoc accidit. Materia igitur, et quae ex ea formantur, nec per se sunt, nec vera, sed ducuntur tantum ex illo fonte uno, qui solus per se exstat, et in omnibus solus vere inest. Quae ratio naturae intelligendae est doctrina *Brahmanonorum,* quae aliis temporibus aliis modis explicata est.

Vera et antiqua disciplina Brahmanorum in libris Vedarum traditur, quae ad philosophiae rationem explicata est in philosophia Vedantica. In qua disciplina vis illa et actio, principium illud agens et movens *Brahma* vocatur, alterum vero, id quod movetur et agitur, inferius videtur neque vere exstat. Quum principium sit movens

et solum vere exstet: quaecunque sunt, naturam motionis prae se ferant oportet. Secundum Sinarum doctrinam natura rerum *quiescit*, omnia *sunt;* secundum Indorum doctrinam omnia *fluunt*, omnia *exoriuntur*, et *sunt*, et *evanescunt.* Naturae igitur rerum tres modi sunt:

1. Ortus, initium. Ea, quae sunt, ex principio exoriuntur.
2. Vita ipsa ejus, quod exortum est.
3. Exitus et interitus eorum, quae sunt, eorumque reditus in principium unum.

Qui orbis vitae in se remeans in illo uno principio, Brahma, inest; et ille triplex numerus in omnem Brahmanorum religionem et philosophiam pertinet et variis modis usque repetitur. In Vedis illi tres vitae modi sic significantur:

1. *Indra*, qui significat *Coelum* vel *Lucem* et vim vitalem, quae efficit, ut res naturae exoriantur.
2. *Varuna*, qui significat *aërem* vel *aquam*, elementa motionis, et eam naturae vim, quae vitam exortam servat et sustinet.
3. *Agni*, qui significat *ignem*, elementum devorans, et vim, quae res naturae singulas destruit easque reducit ad principia rerum universa.

Quae tria naturam rerum efficiunt et explent, elemento terrae plane omisso, quod multo magis illis naturam materiae prae se fert, materia vero apud Brahmanos negligitur, paene negatur.

Brahma solum et unum vere *est;* mundus non est nisi Brahma explicatum; ex eo omnia exoriuntur, in id omnia revertuntur. Brahma vero, quatenus explicatum est, non in vero et justo statu versatur; mundus nec jure nec vere exstat. Justior et melior ille alter status est, ubi Brahma nihil est, nisi unum sine ulla qualitate, sine nulla differentia. Mundus esse non *debet;* quaecunque singula sunt, *mala* sunt, quia *singula;* quo magis singularis quaedam res, eo magis remota a Brahma ipso, eo deterior. Quo

liberior igitur homo, quo magis sui et suae libertatis conscius, eo magis abalienatus a Brahma, a justo. Hoc igitur hominis debitum, ut summo opere se ipsum, suam liberam voluntatem, suam mentem retineat et deprimat. Quicunque homo perfectissimus minimum et potius nihil agit vel cogitat; nec sapiens res naturae vel hominum considerat et cogitat, sed solum *unum* illud', quod omni qualitate omnino caret, in quo omnino vacuo nihil potest cogitari, nisi quod *est*.

Ille triplex vitae modus tum caussa, tum natura omnium rerum est. Mundus ipse est triplex.

1. Mundus *lucis* seu *Brahmae*, solius et quieti et firmi principii, in quo inest vis vitalis, mundus divinus, coelestis, aeternus atque aethereus, Coelum.
2. Mundus *vitae* et *motionis*, similis aëri et aquis motis, mundus medius, haec, quae nos incolimus, loca.
3. Mundus *interitus*, mortis, tenebrarum, materiae segnis et obscurae, terra inferior, tartarus.

Sic etiam tres omnium rerum qualitates (*Gunae*) ponuntur:

1. Qualitas *bonitatis*.
2. Qualitas *inquietis* vel motionis et certaminis inter bonum et malum.
3. Qualitas rigidae et mortuae materiae, *mali*, mortis.

Quae qualitates in homine ipso sic apparent:

1. Ingenium (Puruscha), quo nihil nisi Brahma solum cogitatur et intelligitur.
2. Anima, cui iterum illae tres qualitates sunt:
   a. Mens, quae res singulas percipit,
   b. Animus, qui sentit et vult; in quo motionis qualitas apparet,
   c. Ahankara, cujus notionis nomine Romani omnino carent, nostrum: *Selbstgefühl, Selbstheit*, conscientia fere vitae singularis et personae.

3. Corpus, cujus partes illas tres qualitates prae se ferunt:
   a. Caput, instar lucis, intelligentiae, ingenii;
   b. Pectus, instar vitae, motionis, animi, sensus et voluntatis;
   c. Venter, instar tenebrarum, materiae, pars hominis ad animalium vitam pertinens.

Quibus respondent gentes et corpora generis humani:

1. Corpus *Brahmanorum* respondet luci, coelo, Brahmae, bonitati, intelligentiae, ingenio; homines sancti et sapientes;
2. Corpus *Kschatrijas* respondet aëri vel aquis, actioni, motui, vitae rerum naturalium ipsi, animo, voluntati; homines agentes, regentes, fortes.
3. Corpus, cui nomen *Vaisjas*, respondet mundi regioni inferiori, materiae, sensibus, corpori humano, ventri et Ahankarae; homines sibi ipsis et quaestui studentes.

Omnino alieni a populo et a rebus publicis sunt *Sudrae*, et verisimillimum est, eos peregrinae gentis esse.

Hac sunt praecipuae de natura et hominibus traditae sententiae Indorum, quales in Vedis docentur et in philosophia Vedantica, quae illis maxime consentanea est. Quae doctrina tempore posteriori, quum poëmata epica exorta essent, aliquanto mutata est; antea simpliciter cogitata, postea mythologia, antea naturae vires colebantur, postea dii ad instar hominum, antea cosmogonia valuit, postea theogonia, antea pantheismus, postea polytheismus, antea naturae explicatio, postea res gestae, historiae quaedam species. Illud primum et unum principium, Brahma sive Parabrahma in doctrina posterioris aetatis tribus modis explicatur:

1. Primus modus est *Brahma*, qui repraesentat coelum, lucem, vim vitalem, Indram.
2. Alter est *Vischnu*, qui repraesentat rerum vitam, motum, aërem, aquam, Varunam.

3. Tertius est *Sivas*, qui repraesentat eversionem, ignem et materiam segnem et tenebrosam, mortem, Agni.

Cui *Trimurti* argumentum doctrinae Vedarum inest mutata forma dicendi. Quam rem alio loco latius persequi mihi in animo est.

De Buddhaismo.

In Brahmanorum doctrina unum principium omnium est *vis* naturae, principium agens, movens, affirmans; in Buddhaismo, altera Indorum disciplina, alterum illorum duorum principiorum unum et verum habetur, materia iners, principium nec agens, nec movens, sed patiens, motum, id quod per se non est, nec unum est sed in infinitum dividi potest.

Apud Brahmanos *vis*, illud Brahma, re vera sola est, res singulae re vera non sunt, sed esse *videntur;* id quod verum est, *perstat,* quae non vera, *fluunt.* Apud Buddhaistas vis una, quae omnia comprehendat et conjungat, omnino non est nisi species fallax. Materia tantum, id quod dividi potest et in infinitum divisum est et finitum, solum exstat; res finitae sunt omnia, et omnia sunt finita, quaecunque sunt: fluunt. Aeterna res non est, sed ortus et interitus semper et ubique.

Apud Brahmanos natura vera non est mutabilis, omnis mutatio simulata; apud Buddhaistas natura omnium est mutabilis, non perstat; omne aeternum est simulatum. Mundus, qui ante oculos nostros est, et in Brahmanorum et in Buddhaistarum disciplina vanus est, in illa, quia vis prima et una sola *est,* cetera omnia vana sunt; in hac, quia vis prima, ex qua et in qua omnia sunt, omnino deest, finita igitur et mutabilia sola sunt, quorum natura est mutari et interire. Utraque disciplina duplex princi-

pium naturae negans unum tantum affirmat, altera alterum; utraque vero ad eundem exitum pervenit, negat enim res naturae vere perstare. Brahmanis id solum et verum est, quod Plato τὸ ὄν vocat, Buddhaistis id, quod ille μὴ ὄν dicit; utrique vero veram mundi vitam et naturam non comprehendunt.

Doctrina Buddhaistarum usque ad recentissima tempora paene ignota nobis fuit. Quae pauca nobis nota fuerunt, ex fontibus valde incertis tradita erant, et quo pauciorà viri docti de illa re sciebant, eo magis ingenii acumine laetabantur, fingentes, quae nesciebant, doctrinas excogitantes et coquentes valde subtiles, sed non veras. Reperiebant in hac disciplina meram et simplicem doctrinam unius dei, summam eandemque integerrimam doctrinam moralem et se reperisse gaudebant in hac doctrina fere omnium religionum fontem, Jovem Dodonae, Wodan Germanorum, Amun Aegyptorum; nostrum verbum *beten* idem esse quod Buddha ostendebant.[1] Libri sancti Buddhaistarum incomperti erant. Quae J. J. Schmidt nobis tradidit, non nisi ex fontibus Mongolicis exorta sunt;[2] quae Abel-Rémusat ex libris Sinarum diligenter conquisivit,[3] meram et integram doctrinam, qualis apud Indos valuit, non exprimunt. Nostra denique aetate disciplina Buddhaistarum ex libris Indorum ipsis prodita est.

Praeter Csomam et Turnour imprimis Hodgson de hac re optime meruit, qui legatus Brittannorum in Nepal ad radices montis Imai, ubi Buddhaismus usque ad nostram

1. J. Chr. Baur, *Symbolik und Mythologie I. p.* 239. 314. 246.

2. *Forschungen aus dem Gebiete der älteren Bildungsgeschichte der Völker Mittelasiens.* 1824. — *Ueber die Verwandtschaft der gnostisch-theosoph. Lehren mit d. Rel. Syst. d. Orients* 1828. — *Geschichte d. Ost-Mongolen, verfasst von Ssanang Ssetsen.* 1829.

3. Melanges Asiat. — Melanges Posthumes. Paris 1843. — Nouv. Journ. Asiat. VII. — Foe-koue-ki ou Relation des royaumes bouddhiques. Par. 1836.

aetatem viget, summa industria scripta Buddhaistarum antiqua conquisivit, quorum praestantissima Eug. Burnouf ex lingua Sanscr. et vertit et interpretatus est.[4] Quamquam pars tantum minor nobis est, tamen noli opinari, multa nobis deesse ad recte intelligendam veram naturam doctrinae illius. Buddhaistarum enim libri innumerabiles,[5] cogitata pauca eademque simplicissima, denuo semper iterata; scientia exigua, praecepta ascetica multa. Paucas sententias mire et constanter persequuntur, sed dictio saepius segnis et molesta.

Litterae antiquissimae hujus disciplinae sunt *Sutrae,* quae a Buddha ipso scriptae dicuntur, ab ejus discipulis vero conscriptae et paullo post tribus conciliis collectae et confirmatae esse videntur.[6]

Quae disciplina initium habuit sexto vel septimo saeculo ante Chr. n., paullo ante quam poëmata Indorum epica perfecta sunt,[7] et sine ullo dubio e medio populo Brahmanico exorta est, neque ante doctrinam Brahmanicam neque ab initio simul cum ea valuit. Neque enim in Vedis neque apud Manu ullum illius vestigium, scripta vero Buddhaistarum antiquissima scatent dictis, quae ad res et doctrinas Brahm. pertinent; Buddha ipse perpetuo disputat et rixatur cum Brahmanis.[8]

4. Introduction à l'histoire du Buddhisme Indien; Tom. I. Par. 1844. Q. — Quae priore tempore de hac re scripta sunt, pleraque non amplius valent; Bohlen, Rhode, qui satis leviter rem tractant. Stuhr, *Rel. Syst. des Orients* 1836. p. 147. *f.* accurate et diligenter disputavit. — Nève de l'état présant des études sur le Buddh. 1846.
5. Scripta sancta CVIII tomis magnis comprehenduntur.
6. Burnouf p. 136. 43. 45. 578.
7. Ibid. p. III. p. 587. — Schmidt, *Ost-Mongol.* p. XIX. 314. — Stuhr, *Rel. Syst.* p. 133 seq., 287. In Ramayana (II. 76, 93) Buddhae mentio fit.
8. Burn. 130. seq. 171. 184. 335. Asiat. Res. VII. 413-415. IX, 292. Schmidt, *Forsch. p.* 186. — Lassen, *Zeitschrift für Kunde des Morgenl.* I, 106. — Bohlen, *d. alte Indien* I, 330. — Schlegel, *Indische Bibl.* I, 417. — Stuhr. l. l. 137. ej. *Chines. Reichsrelig.* 82. — Rhode, *Hindus* I, 350.

Disciplinae Buddhaicae auctor est Sakyamuni vel Gotama, cui cognomina Buddha, i. e. sciens, sapiens, [9] et Bhagavat i. e. augustus, beatus, sunt; quem Sinae *Fo* vocant, quod nomen ex Buddha s. Fo-ta exortum est. De ejus vita multa commenta; sed in scriptis antiquissimis Sakyamuni merus homo describitur, quamquam eo nato magna prodigia erant. [10] Vitam degebat per sex annos ad modum Brahmanorum severam et duram; mox vero ei persuasum est, hanc viam esse vanam; qua de caussa novam edebat doctrinam. Octoginta annos natus mortuus est. [11] Postea magna cum pietate colebatur, nunquam vero divino honore; fuit et remansit merus homo, *princeps hominum, primus sapientium, heros inter homines*, ejus ossa sacrae reliquiae colebantur, id quod ostendit, eum non habitum esse deum, qui humanam speciem induerit instar Brahmanicorum deorum. [12] Miracula quidem edidit magna et multa, sed quicunque homo sanctus est, eadem edere potest. Buddha multis in rebus comparandus videtur cum Muhammedo, qui in religione unius dei eandem fere personam sustinet, quam Buddha in religione naturali.

Disciplina Buddhae ex septentrionali India intra Gangem, ubi haud dubie orta est, celerrime pervulgabatur et in India et in terris vicinis. Tertio saeculo ante Chr. n. in Sinis valuit et duobus saeculis post, imperatoribus faventibus et multo accommodata ad mores et opiniones Sinarum, dominabatur; sexto seculo p. Chr. n. ferebatur ad insulas Japonicas et paullatim pervulgabatur in omnibus fere insulis Indicis, in India extra Gangem, in terra Tibeta et in Asia media [13] et nunc etiam multo plures

9. Burn. p. 71.
10. Burn. 383. 384.
11. Burn. 385. — Asiat. Res. VI, 266. — Foe-koue-ki p. 204. — Stuhr, *Rel. Syst.* 151. 152.
12. Burn. 384. 390. 338. 370.
13. Nouv. Journ. Asiat. XIV, 93. — Bohlen I, 307. — Stuhr, p. 139. 262. 263. 290. — Burn. p. I.

sunt, qui hanc disciplinam sectantur quam Brahmani. [14] Quinto saeculo p. Chr. n. Brahmani illos vehementer persequi coeperunt, eosque expulerunt fere omnes ex India intra Gangem praeter regiones illas, quae sunt ad radices Imai. [15] Nostra aetate Buddhae disciplina imprimis in Tibeta floret. Aliis in terris aliis doctrinis commiscebatur, velut in Sinis, apud gentes Mongolicas, in Taprobane (Ceylon), aliis, [16] et in disciplina Dschinarum. [17] Quibus praetermissis meram et integram doctrinam Buddhaistarum, qualis in antiquissimis et sanctis libris inest, quaerimus.

Brahmani et Buddhaistae utrique alteram unius ideae partem prehendunt. Brahmani docent: merum *Esse*, id quod nihil est nisi *Esse*, hoc solum et unum vere exstat; Buddhaistae vero: id quod re vera *non est*, quod esse non *debet*, cui existendi nec jus nec fas est, quia non per se est, id quod mutabile est, hoc est *verum*, hoc solum exstat, etsi non merito. Vera igitur natura omnium est *non Esse*, *Nihilum*.

Brahmani ubique animum ex multis ad unum revocant, e circuitu ad centrum, quod centrum solum vere *est*; circuitus vanus est et fallax species; Buddhaistae semper in circuitu versantur, remoti a centro; multa, finita et quae interitui obnoxia sunt, sola sunt; nullum vitae centrum, quod omnia fert, ad omnia pertinet, nulla vis, quae omnia agit, nulla summa et ultima caussa, nulla rerum unitas; non est principium agens, quod se ipsum explicat, ut mundus fiat; non est Brahma.

14. Nouv. Journ. As. V, 307. Nève de l'état présent etc. p. 41.
15. Abel-Rémusat Melang. Asiat. I, 125. — Burn. 586. — Colebrooke in Transact. I, 550. 558. — Stuhr, 210.
16. cf. Stuhr, *Rel. Syst.* 271. 171, cj. *Reichsrel.* 89.
17. Schmidt, *Forsch.* 190. — Journ. Asiat. X, 284. — Bohlen I, 352. Stuhr, *Rel. Syst.* 61. 192.

Apud illos Brahma nondum explicatum neque patefactum, *Esse* sine ulla qualitate, verum est; Brahma vero explicatum, natura, fallax et falsum. Apud hos Brahma explicatum, natura sola, quatenus multa in se habet et finita, vera est, quamquam sine jure; illud Brahma vero non explicatum est vanum, commentum, non exstat; mundus non exortus est ex uno principio, non creatus; nullus deus, nullus creator, nulla naturae caussa. In doctrina illorum solum Esse est, non vero est *aliquid,* in doctrina alterorum non est nisi *quid,* nisi singula; illi habent *substantiam* sine qualitate, hi *qualitatem* sine substantia. Buddhaistae summum deum, mundi principium omnino negant, nec in Sutris nec in praecipuis aliis scriptis ullum vestigium dei mundum efficientis. [1] Brahmani dicunt: Quia Brahma est unum et immutabile, propterea fieri non potest, ut mutabilia vere *sint;* Buddhaistae vero dicunt: propterea, quod res naturae mutabiles sunt, fieri non potest, ut unum et immutabile earum principium sit. [2] *Si re vera unum mundi principium esset: omnia simul facta esse oporteret, quia caussa non sine effectu. Atqui res paullatim atque deinceps oriuntur et nascuntur; ergo multas caussas esse oportet, non unam.* [3] Opinionem, esse deum creatorem mundi, vehementer repudiant Buddhaistae. [4] Mundus neque ex materia quadam est exortus, neque ex deo, neque per deum, sed ex nihilo et per nihilum; quomodo exortus sit, quaerere omnino non licet. [5] Antiquissimi Buddhaistarum philosophi, quibus nomen Suabhavica est, qui Sutra libros eodem fere modo interpretantur, quo Vedantici philosophi Vedas, certo et definite negant esse

1. Burn. p. 118. 120. — Schmidt, *Verwandtschaft d. gnost. Syst.* p. 8. — ej. *Forschungen,* p. 180.
2. Asiat. Res. VI, 245. VII, 34. 35. Stuhr, *Rel. Syst.* 154.
3. Burn. 572. 574.
4. Asiat. Res. VI, 268.
5. Ssanang Ssetsen, 302 seq. — A. Rémusat Mel. posth. 104 seq. — Stuhr, 155. 156.

principium naturae quoddam spirituale. Nihil aliud esse docent, nisi naturam, quae duobus modis sit, aut in Pravritti, in statu motus, quo natura agit, viva et mobilis sit, aut in Nivritti, in statu quietis, quo natura quiescit, moritur. Illorum trium vitae modorum, quos Brahmani esse docent, Buddhaistae alterum tantum et tertium tenent relicto primo, qui caussa et fundamentum ceterorum est. Inter quos duos status motus et quietis, vigilandi et dormiendi, vitae et mortis, natura semper versatur non vi quadam, quae extra materiam est, sed per se. Alter status Nivritti est verior altero, quia propius accedit ad illam veram omnium rerum naturam internam, ad Nihilum, ad non Esse; hominis vero est operam dare, ut quam celerrime perveniat ad illum statum Nivritti, in quo omnia esse desinunt. [6] Non mirum igitur, quod Brahmani Buddhaistis exprobrant Atheismum; [7] hi vero illis poterant exprobrare Acosmismum.

Caussa ac fundamentum omnium divinum et unum in hac doctrina negatur; qua de caussa etiam explicatio hujus principii, doctrina de Trimurti et quae ex ea sequuntur, negantur; neque Lingam illud celeberrimum Brahmanorum, quo significatur generatio omnium rerum, apud Buddhaistas invenitur. [8] Sunt quidem sectae quaedam, quae disciplinam meram non tenebant, sed aliquanto ad Brahmanicam doctrinam et ad alias inclinabant, velut ii, qui deum quendam, Adibuddham, creatorem summum esse docent; sed eae sectae pleraeque posteriori tempore exortae sunt et aperte antiquam doctrinam corruperunt, aliena ei immiscuerunt. [9] Doctrina Buddhaica mera et antiqua certe unum deum non tenet, ut multi putaverunt, [10] nec *duo*

6. Burn. 441. — Asiat. Res. XVI, 423 seq.
7. Transact. of the roy. as. soc. I, 558. — Romayana II, 76. 93.
8. Schmidt, *Forsch.* 187.
9. Burn. 117. 119. Not. 2. 442. — Stuhr, 171. 176. — Asiat. Res. I. l.
10. Abel-Rémusat Mel. posth. 117 seq.; cf. Foe-koue-ki p. 137. — Stuhr, *Chines. Reichsrel.* 89.

principia, ut alii putant,[11] sed deus et duo principia diserte et omnino negantur.

Brahmani de natura disputantes exordiuntur ex eo, quod *est*, Buddhaistae ex eo, quod *non est*. Ubique vero in natura rerum Esse et non Esse simul adsunt; res quaeque *finita* est, quatenus vero finita, eatenus non est. Brahmani igitur intelligere nequeunt, quo modo in rebus illud *non Esse* insit; qua de caussa res finitas non veras esse, sed videri tantum esse dicunt; Buddhaistae vero intelligere nequeunt, quomodo in rebus *Esse* insit, quia vera rerum natura sit *non Esse*. Qua de caussa Buddhaistis quoque res omnes non verae sunt, sed interitui obnoxiae, ex contraria vero caussa ac Brahmanis. — Natura igitur et quaecunque res sunt, utrisque non verae esse videntur; Brahmanis, quia finitae sunt, ergo aliquanto *non* sunt, Buddhaistis, quia aliquanto *sunt*, nec solam naturam nihili prae se ferunt. Hi mundum exortum et exstantem comprehendere nequeunt; verum enim est *non Esse*, mundus igitur ex nihilo exortus; sed ex nihilo nihil fit; atqui mundus non est nihil, sed est *aliquid*; ergo mundus exstans ejusque origo mente percipi et intelligi omnino non potest, ut Buddhaistae diserte confitentur.[12] Quae postea de origine mundi fabulabantur, non multum valent.[13]

Mundum longe alium cogitant ac Brahmani. Hi semper et ubique unitatem petunt, multa negligunt, centrum quaerunt, illi in peripheria versantur, unitatem vel centrum fugiunt, multa petunt, quoniam in rerum multitudine negatio magis appareat, quam in uno, negatio vero vera rerum natura sit; unum, quod Brahmani tenent, in multa

11. Rhode, *Hindus* I, 385. — Bohlen I, 323. — Baur, *d. manich. Rel. Syst.* 434. 435. — ej. *Christl. Gnosis*, p. 38 seq.
12. Ssanang Ssetsen 3. 302. 482. — Stuhr, *Rel. Syst.* 155. 156.
13. Ssan. Ss. l.l. — Timkowski, *Reise nach China* III, 349. — Stuhr, 155.

et innumerabilia dissipatur. Qua de caussa Buddhaistae valde delectantur numeris immensis. Brahmani verum et absolutum in *uno* esse putant, Buddhaistae vero in *numero innumerabili*. Nullus alius populus tam horribiles numeros fingit in describendo mundo quam Buddhaistae. En habeas exemplum. Mundus est triplex, mundus inferior, cui sunt sex gradus, medius, cui sunt duodeviginti gradus, superior, cui sunt quattuor gradus.[14] Qui triplex mundus ponitur in flore loti ex mari vaporum eminente, qui flos praeter illum mundum innumerabiles alios ejusdem generis fert, et praeter illum florem ex illo mari tot flores loti, quorum uterque innumerabiles fert mundos, eminent, ut eorum numerus ad nostram numerorum rationem describi non possit nisi quadragies quinquies centenis millibus notis, qui numerus typis usitatis expressus fere decem milliaria Romana longus est. Quod mare vaporum est minima pars universi mundi, praeter illud enim tot alia maria lotis illis mundos ferentibus impleta, quot loti in illo mari sunt.[15] Quod nobis satis, non Buddhaistis.

Moleste et perpetue idem repetentes, eandem semper cantilenam canentes, infinitum et absolutum assequi se posse sibi persuadent. Nullus mundus molestior quam mundus Buddhaistarum.

Ut numerus spatii, sic numerus temporis. Mundi innumerabiles sine caussa exorti sine caussa denuo intereunt, novi denuo exoriuntur sine caussa; sic infinitus mundorum deinceps ortorum numerus, qui inter se nullo modo cohaerent, nullum habent finem. Quivis enim finis et quodvis commune consilium esset unitas quaedam perstans multarum rerum, sed unitas et quod perstat, esse non debet; qua de caussa innumerabiles mundi sine ullo conjunctionis vinculo exoriuntur et pereunt instar bullarum

14. Remusat Mel. posth. 86. 97. — Ssanang Ssetsen 5. 301. 302. 354. 398. — Stuhr, 160-163.

15. Remus. l. l. 69. 98-102. cf. Stuhr, 166.

in palude. Quisque mundus interit *totus*, quicunque sequitur, omnino *novus* et *alius* est; nihil iis commune, nisi quod vani, inutiles et sine ullo consilio sunt. 16

In qua natura mundi et omnium rerum, qualem Buddhaistae cogitant, nobis nihil jucundi. Taedii plenus eorum mundus, taedii plena eorum vita, taedii plena eorum simulacra, scripta, dicta, quibus magnifica describunt. 17

Brahmani et Buddhaistae notionem vel ideam Absoluti in utramque partem dilacerant. Id enim, quod vere absolutum est, et *unum* est et *multum*, simplex est et diversum, unitatem in se habet et differentiam. Brahmani vero illam solam tenent, Buddhaistae hanc; utrique vero veram ideam diruunt.

Buddhaistarum pluris interest, ut negationem omnium rerum, quam ut res ipsas percipiant; qua de caussa naturae scientia apud eos non multum valet; non quaerunt multa de rebus naturae, nec earum rationem et disciplinam quandam excogitaverunt; ratio enim eorum diruit vitam, non comprehendit, quia unitas in multis non agnoscitur. Quaestiones de natura rerum apud alias gentes factae apud Buddhaistas neque fiunt neque solvuntur. De origine et natura *ingenii humani* non quaerunt; verba quidem faciunt de ingenio, de animo, de geniis, non ea explicant, et diserte eos repudiant, qui de eorum origine quaerunt; 18 nec in tota doctrina quidquam est, ex quo ingenium vel animus possit comprehendi, nec in scriptis antiquis hanc rem explicare conantur. Sakyamani, quum ex eo quaererent, quaenam ratio intercesset inter naturam et an-

16. Ssan. Ss. 3. 302. 482. — Nouv. Journ. Asiat. V. 314. — Abel Rémus. Mel. posth. p. III. 116. Journ. of the Asiat. Soc. of Beng. VII, 686. 789. 919. 991.

17. Vide Schmidt, *Forsch.* 274. — Burn. 184.

18. Journ. d. savans 1831. Dec. p. 726.

mum, respondit, se non habere, quae de hac re diceret.[19] In antiquissimis libris nullus alius animus doceri videtur, nisi humanus, qualis in hac vita et post mortem existit; in doctrina vero, qualem Mongolae habent, multitudo magna geniorum et daemonum, haud dubie opinionibus Schamanicis immixtis doctrinae Buddhaistarum.[20]

Quum natura vera omnium sit *non Esse:* quaecunque sunt, nec recte nec juste exstant; qua de caussa omnia denique transeunt in merum Nihilum. Vitae flumen ad interitum fluit; quodcunque exortum est, morti obnoxium. Quamvis igitur prima aetate homines tam longa fruerentur vita, ut annorum numerus aequaret numerum guttarum imbrium, si per triennium perpetuo plueret, tamen vitae hominum paullatim breviores redduntur, usque dum omnia redeant in nihilum, ex quo exorta sunt.[21] Mundus non est, ut perstet, sed ut intereat.

Quam vanitatem omnium Bnddhaistae vehementius et tristius cogitant et sentiunt quam Brahmani. Illis omnia denique reverti videntur non, ut Brahmanis, ad id, quod vere exstat, ad perfectum et absolutum, sed ad id, quod omnino *non est,* ad nihilum. Secundum Brahmanorum disciplinam ego, quia persona et singularis homo sum, in statu falso et injusto versor, oportet igitur me redire ad id, quod non finitum est, ad Brahma; secundum alteram disciplinam ego propterea quod *sum,* in statu misero neque recto versor, et oportet me redire ad nihilum. Quae sententia multo tristior est quam illa; qua de caussa animi Buddhaistarum tristitia quadam imbuti sunt, qualis apud Brahmanos non invenitur. Libenter Buddhaista cogitationi

19. Burn. 454. 521..... Transact. of the roy. as. soc. II, 237.
20. Ssan. Ssetsen, 352.
21. Schmidt, *Forsch.* 182. — Ss. Ssetsen, 302. — A. Rémusat Mel. posth. 103. — Stuhr 169. Foe-kone-ki, p. 352.

de vanitate omnium se dat. Omnia vana et caduca, — hoc est momentum et gravissimum argumentum sapientiae. Brahmanus laetari potest reversurus ad verum vitae statum, ad Brahma; Buddhaista non potest nisi lugere, plane obnoxius vanitati; nec Brahma est, nec aeternum, nihil est nisi caducum. Qua de caussa disciplina Buddhae vocatur disciplina *de vanitate omnium, doctrina saluberrima vani.*[22] *Nasci et mori non separandum. Omnia vana et caduca, habeatis vitam vestram somnium; vitae anni non veri, evanescunt nullo relicto vestigio, quemadmodum arcus pluvius in coelo evanescit; nec verbo est veritas et stabilitas; conticescit enim sicuti tonitru in aëre. Corpus non est nisi flos breve tempus enascens. Putetis vitam vestram speciem, qualis in speculo apparet. Vita similis fulguri, existimetis eam spumam, quae in aqua est. Omnia docent: equidem non sum. Cognoscatis vanitatem omnium, cognoscatis omnia inania et vana etc.*[23]. — *Vigilandi status comparandus est bullis aquarum, conscientia orbibus in aqua. Falsa, ut species arborum in aqua, sunt facta, praestigiis magicis similis est scientia.*[24] Gravissimum argumentum doctrinae Buddhaicae hoc existimatur: *Omnes thesauri exhauriendo, omnia alta cadendo obnoxia, omnia collecta dissipando, omnia animantia morti. — Omnia visibilia pereunt, omne, quod natum est, triste interit, quaeque fides nihilo similis, omnia non nisi in opinione sunt.*[25] Quoties, ut in fabula narratur, Buddha subridente lumen per coelum fulgurat, toties vox auditur: *haec vana, haec misera, haec inania, haec non stabilia.*[26] *Vitae conditiones ita sunt, ut non vere sint;*

22. Ssan. Ssetsen, 271. 463.
23. Ib. 15. 366. 243. cf. 438. 439. 445.
24. Ib. 445.
25. Timkowski, *Reise nach China.* III, 406.
26. Burn. 462.

insipientes et rudes eas veras opinantur, sed non vere exstant. Forma est mendax, perceptio, cogitatio, intellectus est mendax. — *Meum est,* — dicit Boddhisatva genius, *omnia creata ad perfectum Nirvana* (plenam exstinctionem) *ducere, sed non sunt creata, quae illic ducantur, nec quae ducant. Buddha ipse praestigio similis, ejusque conditiones somnio similes.*[27]

Non Esse est verum; atqui mundus *est,* ergo non *verus,* nec esse *debet;* mundus igitur est *malus.* Natura interna mundi est *malum,* vitiosum, dolor.[28] Sensus omnibus Buddhaistis communis est *dolor vitae.* Quaecunque sunt, dolore imbuta sunt. Conscientia Buddhaistarum admodum tragica. Totius generis humani vita est tragoedia magna, genus humanum subit doloris et perniciei et exstinctionis sortem inevitabilem.

Natura mundi est quadruplex dolor, dolor ortus, senectutis, morbi, mortis.[29] Quibus consideratis doloribus Sakyamuni non amplius laetabatur vita, qua fruebatur, splendida, sed in solitudinem se recepit, ut cogitaret de vitae miseriis. Miseriarum intellectus initium est sapientiae;[30] quibus miseriis descriptis scatent libri Buddhaistarum. Quaecunque cetera possint cogitari et intelligi, non amplius interest ejus, qui hanc miseriam intellexit et sensit. Nulla scientia digna, quae teneatur, nisi quae referenda est ad illam miseriam. Omnis sapientia versatur in quattuor rebus, in investigando dolorem, doloris initium, doloris exitum, viam ad dolorem evertendum.[31] Qui sen-

27. Burn. 481. 483.
28. Klaproth in Nouv. Journ. As. V, 310.
29. Ssan. Ssetsen, 313. — Nouv. Journ. As. VII, 178. — Foe-koue-ki p. 205 seq. — Timkowski III, 401.
30. Nouv. Journ. Asiat. VII, 178 - 185.
31. Burn. 629. cf. 487.

sus doloris corrumpit voluptatem et gaudium. Buddhaistae de vita non gaudent. *Vexati doloribus tum animi, tum corporis, pii homines intelligunt mundos omnes devoratos igne inconstantiae. Quonam gaudio rerum animi piorum possint frui, cogitantes de mortis terrore, quae per sexcentas vitas repetitur? An possint res amplecti animi eorum, qui non nisi de liberatione cogitant, qui res omnes infestas atque interfectrices putant, quibus corpus habitaculum inflammatum, omnia caduca videntur? An liberatio illis non futura sit, qui eam solam desiderant, quorum animi avertuntur a rebus, quae sunt, nec magis adhaerent voluptati quam gutta ad loti folium?*[32]

En sententiam, qualem in ceteris gentilium disciplinis et religionibus frustra quaeras. In religionibus et disciplinis gentium, quae inferiores Indis habendae nobis videntur, homines quiescebant in iis, quae intellexerunt de natura rerum; nec vita nec cupiditates singulorum hominum in periculo versabantur. Haec vero disciplina aggreditur vitam singulorum hominum; homo non amplius potest quiescere; quum enim intelligat se esse in tali conditione, in quali esse non *debeat,* qualis nec vera, nec justa sit: officium ei datur et opus morale solvendum, ut ex hac conditione injusta egrediatur. Qua de caussa contentio illa magna et moralis Buddhaistarum, vita severissima, qualis apud Brahmanos non eodem modo esse potest, quia his, quaecunque res vere *sunt,* bonae videntur, Brahma enim ipsum omne et totum est. Quod solatium non apud Buddhaistas valet; quaecunque enim sunt, mala sunt et misera, propterea, quod *sunt*; et hominis est, hanc existentiae miseriam a se removere, abstinere ab omnibus rebus, quae animum tenere et cum rebus singulis devincire possint. Hac in re Buddhae disciplina similis videtur Christianae religioni, quod in utraque conditionem ge-

32. Ib. 418.

neris humani talem esse docetur, qualis esse non debeat, ex qua homines debeant exire. Hoc vero interest inter utramque, quod secundum Christianorum doctrinam genus humanum non per se vel natura malum est, sed sua culpa *depravatum*, quod malum non est metaphysicum sed morale, quod non vita ipsa mala est, sed homines mali *facti*. Apud Buddhaistas omnia esse non debent, quia mala sunt, nec aliter existere possunt nisi mala; in mundo, qui est, peccatum originis inest. Apud Christianos peccatum libere facto exortum, libere facto potest removeri, Buddhaistis nulla salus nisi mundo ipso sublato. Homo in mundo se esse peregrinum sentit, in mundo nulla ei est quies, nulla salus; nihilum et inane ei imminet.

De *homine* ipso Buddhaistas longe alia docere ac Brahmanos oportet. Brahmanorum illa varia corpora et ordines exorta erant ex eo, quod mundus e Brahma variis gradibus evolvebatur. Quo propius centro, eo magis perfectum aliquid, quo magis remotum, eo minus perfectum. Ubi nulla explicatio, ibi nulla diversa corpora populi; alii homines deo vel centro neque propiores nec magis remoti ab eo sunt aliis, omnes enim in peripheria versantur, nec inter se magis diversi quam grana arenae in littore maris. Magnum illud nihilum ad varios gradus explicari nequit, corporibus igitur gentis nec caussa amplius nec finis. Apud Brahmanos igitur homines inde ab initio diversi sunt inter se, alii magis, alii minus perfecti; apud Buddhaistas omnes homines inter se pares nati sunt, ejusdem dignitatis, ejusdem juris. Unusquisque ad summum perfectionis gradum, ad dignitatem Buddhae ipsius potest pervenire. [1] Quamquam Sakyamuni ipse illa corpora gentis magis negligebat, quam oppugnabat, tamen tempore sequenti, ut res postulabat, ea omnia

1. Burn. 198. 205-211.

sublata sunt, ubicunque disciplina Buddhae pura et mera excolebatur. Nec Sudrae ipsi, a Brahmanis plane rejecti, contemnuntur, sed ut ceteri in ordinem clericorum recipiuntur. *Lex mea,* dicit Buddha, *est lex gratiae omnibus.* [2]

Mores Buddhaistarum consentiunt cum doctrina et valde differunt a Brahmanis. Secundum doctrinam Brahmanorum quaecunque sunt et fiunt, in deo sunt et per deum fiunt. Brahma explicatum in omnibus ipsum vivit, in omnibus ipsum agit, hominis vero est, se ipsum singularem nec tenere neque affirmare sed tradere Brahmae uni. Secundum doctrinam Buddhaicam omnes res gerendae *hominibus* traditae et concessae sunt; in centro nulla vita, omnis in circuitu, in superficie, quemadmodum terra non nisi in superficie plantas promittit. Apud Brahmanos vero omnis vitae motus ex corde exoritur instar animalium, et in quoque membro remotissimo arteriarum pulsus redduntur; homo igitur verus et integer, qualis in corpore summo Brahmanorum apparet, sanctus est *natus,* et ejus officium est, hanc sanctitatem *servare;* apud Buddhaistas homo *natus* est *malus* et miser, quia exstat, et ejus est ex hac miseria se emergere et progredi ad sanctitatem — interitus et nihili. Qua de caussa apud Brahmanos cosmologia sive theologia metaphysica summam habuit vim et prae ceteris exculta est, apud Buddhaistas res morales dominantur de ceteris omnibus, res metaphysicae negliguntur; momentum disciplinae Brahmanorum est *Brahma,* Buddhaistarum vero *homo;* illorum disciplina magis pertinet ad rem objectam, horum disciplina ad hominem ipsum; illorum sapientia valet in intelligendo, horum in agendo; illorum prae ceteris interest *doctrinam,* horum disciplinam seu *mores* colere. Apud Buddhaistas pauca dogmata eadem simplicissima, plana et parum subtilia, plurima, vero

2. Abel Remusat. Mel. asiat. I, 119. Burn. l. l.

praecepta de moribus et vita agenda, pro doctrina est lex severa. 3

Brahmani imprimis de principio mundi cogitaverunt, et ex eo deduxerunt res naturae. Buddhaistae nesciunt rerum ultimam caussam et principium, adspiciunt res, nec comprehendunt, quia earum nulla caussa. Brahmani ad initium omnium, ad praeterita animos vertunt, Buddhaistae ad exitium, ad futura, ad finem; non quaerunt de initio mundi, sed quoniam sciunt, res naturae non esse debere, quamvis sint: futura respiciunt tempora, quibus res per se vanae interiturae sint; id agunt, ut *fiat justitia, pereat mundus*, cui perire fas est; agunt, ne homo res singulas amplectatur, sed ex iis emergatur.

Tamen quae Buddhaistae de moribus docent, non vere moralia, sed potius naturalia esse videntur. Non enim nituntur libertate propria personae, sed eo tantum, quod homo exstat; non spectant ad depravationem quandam generis humani, quae libere facto effecta est, sed ad depravationem totius naturae et mundi, ad peccatum quoddam originis, quod non homo, sed mundus commisit. Quae depravatio non bene et fortiter *agendo* oppugnatur, sed potius *denegando*, animum a rebus continendo et revocando. Buddhaistae in rebus moralibus id potissimum student, ut abstineant se a rebus naturae, non vero, ut eas ad suum ipsorum finem mutent; neque id agunt, ut regnum quoddam morale et aeternum perficiant, sed ut, quae sunt, negentur, tollantur, ut res omnes et homines ipsi redeant ad nihilum, ex quo exorti sint.

Et Brahmani et Buddhaistae renuntiant mundo, illi gaudentes, quod revertantur ad Brahma, hi tristes, quod revertantur ad nihilum. Apud illos haud raro contingit, ut tanquam heroes animis inflammatis in Gangem fluvium se dejiciant, eo consilio, ut desinant esse singuli homines,

3. Cf. Burn. 336. — Stuhr, Rel. Syst. 159. — ej. *Chines. Reichsrel.* 94. 98.

hi vero exspectant quieti et tranquilli, dum liberentur a vita. Illi vitae impatientes sponte eam rescindunt, hi vero patienter *ferunt* miseriam vitae.

Quum omnia, quae sunt, per se mala sint et misera, homini sapienti non id agendum est, ut malum e mundo removeat, sed ut eum simul cum malo deneget. Mundus enim nec corrigi nec purgari potest, sed denegari et tolli. Hoc igitur petendum est, ut in hominis animo omnia deleantur, quae ad mundum pertinent, omnes voluptates, omnes cupiditates, ut animus contemnat et despiciat omnia, quae sunt, ut conservet quietem nullo modo perturbatam, ut nihil petat, nihil fugiat, nulla re gaudeat, de nulla lugeat, non quod melior futura sit vita, quam homines possint assequi, sed quia omnia vana et digna, quae contemnantur. Buddhaistae hanc sententiam constanter persequentes non dubitant omnia affirmare, quae ex ea sequuntur; confitentur libere, negato illo principio uno Brahmanorum, vi una et primaria omnium, res naturae non posse comprehendi sed eas vanas habendas esse. Quod vero hanc vanitatem agnoscunt, quod rebus vanis non ita utuntur et fruuntur, ac si verae et justae essent, sed eas rejiciunt indignabundi, hoc maximi aestumandum est ac summa laude dignum. In errore, si recte eum sequeris, plus veritatis inest quam in inconstantia et confusione. Buddhaistae contemnentes res omnes ad peccandum haud valde incitantur; abstinent ab omni voluptate, abstinent igitur a peccatis. Bona quidem multa omittunt, sed omittunt etiam plurima vitia. Disciplinae moralis Buddhaicae natura et vis est *negans;* non velle, non frui, non cupere, non petere, haec sunt ejus momenta. Praecepta pleraque non praescribunt quidquam, sed vetant; quinque omnibus hominibus data sunt: noli interficere animantia; noli furtum committere; noli alius mariti uxorem offendere; noli mentiri, noli potus inebriantes potare; quinque alia praecepta piis discipulis Buddhae: noli tingere crinem vel

corpus; noli adesse musicae, cantui, saltationi, ludis; noli jacere in lectis mollibus; noli vesci tempore alieno; noli possidere aurum, argentum vel pretiosas res. [4] Homo enim debet animum revocare ab omnibus rebus, quibus sensus incitantur et cupiditates.

Brahmani permulta officia rebus naturae praestant; tota enim natura divina, summe igitur veneranda et colenda, in quovis animanti vel planta Brahma inest; Buddhaistae vero in natura nihil inveniunt, quod venerari vel colere possint; natura iis non divina, sed misera videtur, pro ejus veneratione *miseratio* iis est. Buddhaistas miseret creatorum omnium, quia participia sint dolorum. Contemptioni mundi arctissime conjuncta est miseratio et misericordia omnium animantium. Dolores vitae non augere sed minuere volunt; qua de caussa quam maxime *parcunt* omnibus animantibus, nullum animal vexant vel cruciant vel interficiunt; mors enim est malum. [5]

Virtus Buddhaistarum in abstinendo a malefaciendo apparet. Patientia et clementia et misericordia eminent in eorum moribus. Patienter tolerantes omnium malorum non recusant quidem vitam dare, sed ipsi sibi vitam non eripiunt, nec asceticis vexationibus dolores vitae augent, ut Brahmani. [6] Aspernantur mundum, abstinent ab eo, aequo animo ejus gaudia et dolores ferunt, non vero ipsi se interficiunt, quia dolore non incitantur. [7]

Buddhaistae, quum sua cupiditate non impellantur,

4. The catechism of the Shamans, p. 55. 67. — Foe-koue-ki p. 104.
5. Burn. 359.
6. Schmidt, *Forsch.*, p. 184. 185. — Foe-koue-ki p. 50. 74. — Burn. 159. 160. 254.
7. Quae omnia ut magis etiam confirmentur, afferimus quaedam a Buddhaistis dicta. *Quum justus Buddhae discipulus intelligat, corpus semper obnoxium esse ortui et morti: omnis amor, omne studium hujus corporis mente victum est, nec amplius ei est.* (Burn. 459. cf. 374. 375. Klaproth, *Asiat. Mag.* I. 160.) — *Pio homini vel ipse vel uxor vel filia vel mater vel scortum plane idem valent* (Burn. 558.) — *Qui legem meam observat, dicit*

nec suarum rerum cupidi sint, omnibus fere incitamentis vacant, quibus homines ad saevitiam et crudelitatem incitantur. Non est, quod Buddhaista teneat contra alios homines; quae sua sunt, non defendit, sed libenter tradit, nec ea amat, sed aeque fert; odii vel invidiae nulla caussa; miseret eum reliquorum hominum; animus igitur lenis, mores placidi.

Benignitas et liberalitas Buddhaistae parvo stant; quaecunque enim dare potest, ei nihili sunt; vita ei oneri est; quo plura concedit et tradit, eo magis levatur; quaeque jactura facta ei lucro est. — Buddhaistae misericordiae omnium animantium summopere student, removentes omnem crudelitatem, stipem largientes quam uberrimam,

Fo, ei nullum desiderium, quietus progreditur via non impeditus, similis est ligno in fluvio natanti, quod eum sequitur non offendens ripam, non impeditum, denique in medio oceano amittitur. Nolite sequi voluptatem. Qui severe legem meam observat, esto ut homo, qui circumdatur stramine arido, quod jam jamque flagraturum est. — Centum malefici minus valent quam unus bonus homo, mille boni homines minus quam unus, qui quinque praecepta disciplinae meae observat, — — et sexcenties millies mille homines, qui in gradibus perfectionis summis versantur, minus valent, quam unus homo, qui nihil agit, nihil cogitat, et omnino nihil sentit, et in summo torpore et indolentia omnium rerum est etc. — Qui patrem et matrem et familiam relinquit, eorumque obliviscitur et se ipsum cognoscere solum studet et doctrinam de sui ipsius exstinctione suscipit, is est discipulus Buddhae. — — Is omnia mundi bona a se removeto, nec plura retineto, quam quibus opus est ad vitam sustentandam. — — Si in umbra arboris quieverit, non saepius ad hunc locum veniat, ne videatur eum diligere. (Klaproth l. l. 162. 158. 159. 155. 156.) *— Cui est studium alicujus rei visibilis, in eo est cupiditas, cui vero cupiditas, is valde remotus a Nirvana. Qui speciem pulchram non quaerit, nec eam amat vel diligit, ei non est cupiditas; cui non est cupiditas, ei neque animi expletio, nec gaudium fruendi. Cui vero nec gaudium, nec voluptas, nec cupiditas, is prope accedit ad Nirvanam. — Qui pius homo offenditur ab homine, dicit: boni sunt homines, non enim pugnis caedunt; si eum pugnis caedunt, dicit: boni sunt et lenes, non enim verberant; si fuste verberant, dicit: lenes sunt, non enim me necant; si eum necant, dicit: boni sunt, tam parvis enim doloribus me liberant ex hoc impuro corpore.* (Burn. 94. 251. 253.)

hospitalitatem summam exercentes, [8] benigni et amantes inimicorum. [9]

Sed doctrina moralis Buddhaistarum non verum finem habet; non enim exstruit, sed destruit. Qua de caussa societas hominum vel respublica negligitur; nihil in ea perficiendum est. Non interest Buddhaistarum agere in republica, sed ex ea recedere. Magnis laudibus afficiuntur reges, qui regno deposito in solitudinem se receperint. [10] Aequo animo quamlibet rempublicam ferunt, ea iis omnino non curae est. Aetate demum longe posteriore eorum disciplina magis ad modum rerum civilium instituebatur.

Vitae societas apud Buddhaistas valde singularis exculta sit oportet. Quae sancta vita apud Brahmanos unius tantum ejusdemque summi hominum corporis et ordinis erat, ea apud Buddhaistas, qui omnia generis humani corpora rejiciunt, omnium hominum facta est. Buddhae veri discipuli *omnes* sancti esse debent, sed non ad modum ascetarum se ipsos torquentes, sed placide dolores vitae tolerantes, voluptates rejicientes, segregati a societate, solitarii, male vestiti, neque vero ut gymnosophistae Brahmanorum nudi, — quia quaecunque ad libidines pertinent, sub oculos cadere non debent, — barba et capillo detonso, — quaecunque enim hominem decorant, rejicienda, — fortunis omnibus renuntiantes circumvagantur mendicantes; repudiantes matrimonium abstinent toro, — omnes enim libidines delendae, nec fas est hominibus, qui in vitae miseriis versantur, alios homines gignere, quos miseriae exspectant. [11] Vitae piae consecrantur signis tonsurae et pallii mendici.

8. Burn. 98. — Timkowski, *Reise* III, 406.

9. Burn. 403. seq.

10. Burn. 422.

11. Burn. 275. 284. 311. 461. cf. 489. seq. — Timkowski, *Reise* III. 382. Nouv. Journ. Asiat. V, 136. 137. — Catech. of the Shamans. p. 78. — Schmidt, *Forsch.* 183. — Foe-koue-ki, p. 62.

Ita vero fert natura rei, ut haec vita solitaria nec semper nec omnibus esse potuerit. Consociabantur igitur solitarii et severa usi disciplina vitam degebant in monasteriis, quorum numerus permagnus; disciplina multis in rebus comparanda cum catholica; nec desunt coenobia monacharum.[12]

Neque vero ita potuit perstare vita et disciplina Buddhaistarum, nec talis vita sancta omnibus hominibus esse potuit, nisi gens tota interitura erat. Oportebat igitur alterum hominum ordinem esse, qui vitae societate et matrimonio fruerentur. Qui ordo laicorum, qui comparari potest corporibus Brahmanorum inferioribus, omnino non convenit in veram disciplinam Buddhaistarum, sed necessitate urgente declinaverunt de justa et recta disciplinae via. In antiquissimis scriptis hujus ordinis ullum vestigium non inveni; veri Buddhae discipuli inde ob initio *omnes* fuerunt ascetae, vel, si ita dicere vis, clerici. Tum demum, quum doctrina latius pervulgaretur, accedebat magna copia hominum, qui ex parte tantum sequebantur disciplinam Buddhae, qui dignitate et sanctitate nullo modo comparari possunt veris Buddhae discipulis, nec merito sed quasi gratia et indulgentia ad altiores vitae gradus perveniunt. Qua de caussa nunc quoque quisque pater unum quidem filium ordini clericorum dare debet.[13]

Longe alia vero ratio inter laicos et clericos Buddhaistarum atque in ecclesia catholica et in omnibus populis, quibus ordo constitutus sacerdotum est. Apud illos nullum verum vinculum duorum ordinum, nec duae unius ecclesiae partes verae et necessariae; clerico non opus est laicus, laico non clericus; uterque *suum* iter sequitur; clerici nihil agunt pro laicis sed sibi tantum omnia; non sunt *sacerdotes*, quia nihil iis est conciliandum inter deum et homines; ibi non sacra, ibi non sacerdotes; qui

12. Timkowski III, 382. cf. Burn. 278.
13. Timkowski III, 380.

clerici vocantur, non nisi *pii homines* sunt, qui *sua caussa* disciplinam Buddhae sequuntur, quam omnes homines debebant sequi. Neque clericis munus docendi est, neque plus intelligentiae iis est quam ceteris; eorum est *vita sancta*, non scientia. Non mirum igitur, quod plerique rudissimi et maxime inscii sunt rerum, scientiis longe inferiores Brahmanorum ordine, qui litteris summopere student et intelligentia plerumque excellunt. — Permagnus est numerus illorum clericorum, qui re vera habendi sunt verus populus Buddhaistarum, non ejus sacerdotes vel praeceptores.

Buddhaistarum disciplina id spectat, ut homines magis magisque liberentur e vitae vinculis, usque dum perveniant ad dignitatem *Buddhae;* tum demum nulla amplius vicissitudo, nulla mutatio. Antequam vero homo ad eam perveniat, migrandum ei est per ortus et mortes. Quo magis amplectitur res visibiles, eo diutius ei migrandum. *Qui legem meam repudiat,* dixit Buddha, *et sine fide moritur, is post mortem iterum atque iterum homo nascitur, usque dum legem intelligat et observet et perfecte pius sit.* [14] Quamquam hac in migratione finis quidam moralis inest, tamen natura mundi non plane in hunc finem convenit. Varii enim mundi deinceps alii alios sequuntur, qui inter se omnino non cohaerent, mundo intereunte omnia intereunt et bona et mala, nullo relicto vestigio; nulla vita aeterna; in vanis vero et caducis finis moralis re vera inesse non potest; finis Buddhaistarum verus non est summa omnium perfectio sed interitus.

Qui summum vitae gradum assecutus est, dignitatem Buddhae, ei omnis vitae dolor, omnis vicissitudo ortus et mortis, omne vinculum naturae sublatum est; homo

14. Klaproth, *Asiat. Magazin* I, 164. — Schmidt, Ssan. Ssetsen 439. Burn. 152. 521. — Nouv. Journ. Asiat. V, 314.

neque amplius definitur ulla naturae necessitudine, neque vinctus est naturae legibus; vis ei est *miraculorum* efficiendorum, qua saluti hominum utitur. Qua de re aetate posteriore multae fabulae. 15

Buddhae dignitatem homines sibi *parant*, non vero Buddhae *nati* sunt. Sakyamuni quoque ex infimo vitae gradu ad hanc dignitatem ascendit. Buddha Sakyamuni non igitur est *deus*, qui in mundum descendit et homo factus est instar *incarnationum* dei Vischnu apud Brahmanos, sed *homo* est, qui vitae rebus renuntians *ascendit* supra conditiones naturales. *Omnes Buddhae re vera facti sunt Buddhae.* 1

Apud Brahmanos dii fiunt homines, apud Buddhaistas homines fiunt quasi dii. Apud illos motus vitae fit desuper deorsum, apud hos ab imo sursum. Omnes homines *debent* fieri Buddhae. Intra homines vero et Buddhas sunt *Bodhisatvae*, genii tutelares, auxiliantes, qui etiam homines nasci possunt, velut in clericis summi ordinis, in *Lamis*, quorum summus est *Dalai-Lama* in Tibeta. Raro et apud scriptores posterioris aetatis Buddha Sakyamuni ipse in Dalai-Lama inesse putatur. 2 In antiquissimis libris de hac re nihil. — Bodhisatvarum natura et consilium id est, ut universos homines participes reddant dignitatis Buddhae. Hac aetate *Sakyamuni* summus est Buddha, quasi genius tutelaris Buddhaistarum, neque vero deus est. Sexcenti Buddhae ante eum antecedebant, sexcenti eum sequentur; nec semper ejus veneratio erit. 3

Buddhaismus igitur non est disciplina *monotheistica*, sed ei tantum similis. Buddha ipse non est nisi rex populi, qui non in terra versatur, sed majorem assecutus

15. Burn. 153. 164. 171 - 185. 195. 262. 257. Ssan. Ssetsen 245. 263. 243. Foe-koue-ki 33. 129. Nouv. Journ. Asiat. VII, 177.

1. Apud Schmidt, Ssan. Ssetsen, p. 304. cf. Burn. p. 7.

2. Schmidt, p. 439 seq. 302 seq. — 414. 233. 257. — ej. *Forsch.* 209. — Foe-koue-ki. 118. — Stuhr, *Rel. Syst.* 182. 267.

3. Schmidt, *Forsch.* 171. 179. — Foe-koue-ki p. 196.

est dignitatem, quae nec aeterna nec infinita est. Idea dei absoluti Buddhaistis plane ignota. Vanitas et fragilitas est natura omnium, eadem Buddharum.

Tamen gradus Buddharum neque ultimus nec summus finis vitae humanae est. Qui enim Buddha est, *exstat. Esse* vero non est summus et ultimus finis, quia ejus natura est vanitas. Is vero verus vitae finis est, ut homo redeat eo, ex quo exortus est, in *nihilum,* ubi omnia singula et finita non jam *sunt,* ubi nec cogitatio nec sensus est, ubi omnis vita in nihilum evanescit. Qui status vocatur *Nirvana, Non-Esse,* exstinctio. [4] Nirvana per se significat exstinctionem flammae, *omnino evanescere.* [5]

Buddha omnino perfectus expletis omnibus Buddhae officiis instar flammae, cujus alimentum devoratum est, evanuit totus in Nirvanae elementum, ubi nihil ejus relinquitur, quod est. [6] Aliis locis Nirvana dicitur is status, ubi nulla existendi elementa relinquuntur, nulla singula, ubi forma, sensus, cogitatio, scientia esse desinunt. [7] Opposita omnibus est, quae exstant, neque unitas quaedam cogitata rerum naturalium, neque *unum,* ex quo multa, sed solum ac merum *non Esse,* ut Brahma solum ac merum *Esse* est.

4. Burn. 18. 78. 516. 521. — Klaproth *in* Nouv. Journ. Asiat. V, 314. Foe-koue-ki p. 156. — Stuhr, *Rel. Syst.* 148. 163. 167. 189. — ej. *Chines. Reichsrel.* 89. 99.

5. Burn. 18. 589.

6. Burn. 78. 589.

7. *Magna Nirvana non est disturbatio, non est mors. Si esset mors: post eam iterum atque iterum ortus essent, si disturbatio, pertineret ad existentiam rerum compositarum,* — (i. e. non esset nisi disjunctio conjunctorum); — *alii igitur eam interpretantur mortem, quam nullus transitus in aliam vitam sequitur. Nirvana nec est ademtio, nec acceptio, nec discreta, nec aeterna, nec simplex, nec varia. Nirvanae notio et ratio qualitatibus tum singulis, tum generalibus cognitis cognosci omnino non potest.* Burn. 519. cf. 389. 509. 592.

Sunt quidem inter Buddhaistas, qui minus acriter cogitantes Nirvanam statum quendam quictis non turbatae putent. 8 Sed plerique, iidemque qui accuratius et subtilius dicunt, certo affirmant, hominem assecutum finem demergi in aeternam exstinctionem, quod summum bonum sit, quia liberetur homo e vinculis existendi, ex animarum transitione in alia corpora, qua melius sit omnino non esse. 9 Non igitur animi immortalitas.

Facile ex his apparet, quomodo cultus numinis et sacra apud Buddhaistas se habeant. Deos omnipotentes, qui dominentur in res humanas et naturales, Buddhaistae non agnoscunt, nec igitur verus cultus divinus esse potest. Brahmanis sacra valde composita et exculta sunt, quia iis *numen* re vera est. Buddhaistae numine carent, Buddhae ceterique genii non nisi dignitatis gradu, quem assecuti sunt, ab homine differunt, nec aliter possunt coli ac reges et principes. Cultui divino neque res neque argumentum; ultra res singulas nihilum est, neque ulla religio nisi quae ex vanitatis omnium consideratione exoritur. Quae consideratio homini non caussa colendi est, sed agendi vel potius abstinendi a rebus, quae sunt. Apud Buddhaistas nulla religio nisi disciplina sive vita moralis, quae cernitur in abstinendo ab omnibus, quae sensus et animum excitant, vel gaudio vel dolore afficiunt. 10 Colunt quidem Buddham, non vero cultu divino, sed humano, non adorando sed reverendo, qua ratione heroes et homines insignes reveremur. Cultus Buddhae nihil aliud nisi grata ejus memoria. Qui cultus apud Brahmanos valet, *sacrificium* appellatur; cultus Buddhaistarum vero *veneratio;* 11

8. Burn. 441. Asiat. Res. XVI, 436.
9. Burn. 442.
10. Burn. 336.
11. Burn. 340.

nullus enim sacrificii locus in hac disciplina. Pro hostiis et sacrificiis oblatis Buddhaistae apud Buddhae effigiem flores et suffimentum offerunt, reverentiae et gratiae signa.[12] Qui cultus initio simplicissimus postea varius et multiplex factus est, sed ejus natura et ratio et res eadem, quae antea. Nullae aliae colendi res nisi Buddhae *effigies* et *ossa.*

Buddhae effigies fere ubique eadem, figura hominis sedentis, quieti, oculis in terram demissis, instar hominis meditantis vel potius nihil cogitantis. Forma *semper* humana, nunquam monstruosa ut simulacra Brahmanorum, et Buddhaistae saepius multa verba faciunt de Buddhae pulchritudine.[13] Buddha enim non est deus humanam speciem induens, sed merus homo, humanitatis summum exemplar; nihil in eo est, quod naturam hominis superat, nihil igitur, quod signis alienis signandum est. — Ossa Buddhae in octo sepulcra distribuebantur, quorum simulacra multa plurimi habentur.[14] Qui cultus reliquiarum apud Brahmanos omnino non esse potest, quia dii humanum corpus re vera non obtinent, sed id inducre *videntur.* Materia apud Brahmanos non nisi species, nec vere exstat. Multis locis Buddha vestigia quoque in lapide impressa reliquit, quibusdam etiam suam umbram.[15]

Magni momenti in Buddhaistarum cultu sunt verba quaedam ab omnibus semper et ubique pronuntiata:

Om mani padme hom

quae vertunt: *O pretiosum florem loti;* alii aliter vertunt et interpretantur.[1] Rémusat ea signum *emanationis* mundi

12. Burn. 339. — Foe-koue-ki, p. 41.
13. Burn. 345. — Foe-koue-ki, p. 210. — Timkowski III, 387.
14. Burn. 348.
15. Foe-koue-ki 45. 87. 94. 240.
1. Nouv. Journ. asiat. VII. p. 186. — Ssan. Ssetsen, 319. — Timkowski *Reise* III, in appendice. — A. Remusat, Melanges posth. p. 98. — Foe-koue-ki, p. 29. 132. 179. — Gabet, *in Ausland* 1847. No. 275.

ex deo esse putat. Sed in disciplina Buddhae nulla *emanatio,* nullus deus. Fortasse illa verba spectant ad illam fabulam, quam de lotis mundos ferentibus, e mari vaporum emergentibus, narrant. Quae res si ita se habet, illis verbis significatur natura mundi loto similis. Quemadmodum enim loti flos ex aqua emergit, natans, non stabilitus, caule et radice non comparente, ita mundus natans in mari Nihili, sine causa, sine fundamento est, non stabilis, mox evanescens instar floris. Mundus est lotus, est planta. Verba illa ubivis et usque pronuntiata non sunt preces sed symbolum disciplinae vel professio fidei; scripta sunt in lapidibus et rupibus ad vias, in ossibus, in arborum cortice, in domorum muris, scripta in foliis et chartis ab arboribus pendentibus et in *rotis precum,* quas vocant. Quae rotae deinceps circumvolvuntur, qua re, ut nobis videtur, orbis rerum in se remeantium significatur; ut rota enim mota in eundem semper statum revertitur, nec loco movetur, ita mundus exortus, aliquamdiu motus, mox revertitur eo, ex quo exortus est, nec latius progreditur. Motui rotae, quae loco non movetur, nullus finis vel scopus, quem possit assequi, ita motus et vita mundi nullum verum finem, nullum consilium habet, quod assequatur. Rotae igitur notio et vis convenit in sententiam verborum in iis inscriptorum. [2]

Religio igitur et sacra simplicissima sine ullis secretis vel rebus arcanis vel reconditis. Quae pauca cogitata in disciplina insunt, etiam ingenio hebeti possunt comprehendi; doctrina plana, ad sensum popularem accommo-

2. Plerique opinabantur, has rotas esse machinas quasdam, quibus Buddhaistae uterentur ad preces faciendas, ne oporteret se ipsos verba precum dicere. Sed tam ridiculi et inepti non Buddhaistae, quorum vita et quaecunque agunt, summam gravitatem et severitatem prae se ferunt; nec illa mira opinio convenit ullo modo cum natura disciplinae Buddhaicae. Quae rotae non nisi apud illos Buddhaistas inveniuntur, qui terras ad septentriones vergentes colunt, nec earum nec illorum verborum mentio fit in libris antiquissimis.

data, jejuna. Quum illis nulla fere dogmata sint: mites ipsi sunt et leniter tolerantes alienarum opinionum.

Quum secundum hanc disciplinam omnes homines inter se pares nati sint: nulla est differentia inter gentes. Ubi homines, ibi desiderium liberationis ex miseria existendi, ibi disciplinae Buddhaicae locus. Qua de caussa haec disciplina universitatem generis humani petit; qua in re differt a ceteris omnibus religionibus et disciplinis gentilium. Et Indi mites lenesque et Sinae, quorum animi aridi et jejuni, et Scythae feroces Buddhae partes sumserunt; Scythae mites et lenes redditi sunt. [3] Celerrime et late haec disciplina pervulgata est; doctrina enim plana, multis et alienis opinionibus commoda multo magis apta erat, quae multis populis placeret, quam disciplina Brahmanorum, quae subtilissima et profundissima a paucis tantum comprehendi et haud facile alienis opinionibus adjungi et confundi potuit. Convertere veri inscios ad veritatem est summum officium Buddhaistarum; docere veram doctrinam alienos summum crimen apud Brahmanos. [4]

Ideae, quae apud Indos valet, alteram partem Brahmani arripuerunt, alteram Buddhaistae. Alteri tenent Esse merum, alteri contrarium, illi vim agentem, hi materiam,

3. Schmidt, *Ost-Mongolen*, p. XV.

4. Qua in re disciplina Buddhaistarum similis est religioni Christi; tamen valde etiam differt ab ea. Christianorum est regnum divinum condere et re vera exstruere, ubi spiritus sanctus et ingenium valet et agit. Buddhaistae vero ingenium ex rebus, quae sunt, liberare et solvere student. Illi id agunt, ut mundum peccato corruptum sanctum reddant, ut verus et justus existet, et ingenium dominetur in naturam, malum removeatur ex mundo; hi vero agunt, ut mundum totum tollant; illi volunt ecclesiam condere, quae sancta sit et intemerata, ut deus denique sit omnis in omnibus; hi vero, quaecunque sunt, negant, ut denique nihilum sit omne in omnibus; beati non sunt illi, qui aeterne vivunt, sed qui vita liberati sunt. Utraque religio mundum vincere studet, illa mundum depravatum, haec mundum existentem.

quae non agit, illi unitatem, hi multitudinem, illi centrum vitae, hi circuitum; illi tenent Brahma, amittunt mundum, hi ammittunt Brahma, tenent mundum, qui ipsis invitis, sententia subtilius cogitata, iterum eripitur. Illis id, quod vere exstat, ultra mundum esse videtur, his vero *in* mundo, illi ex mundo in id, quod unum est, redire student, hi ex iis, quae sunt, in nihilum; utrorumque vero animi in rebus, quae sunt, non quiescunt, sed aliud petunt; illi strenue *cogitant* unum et quae ex eo sunt, Buddhaista vero de iis non multum cogitat, quia omnia vana, ea non comprehendit, sed potius ab iis comprehenditur, iisque dolet; *sentit* dolorem existendi, et it agit, ut ab eo liberetur. Apud Brahmanos doctrina multum valet, apud Buddhaistas vita moralis. —

Brahmani omnia naturalia in deo ponunt, Buddhaistae omnia divina in mundo; apud illos natura *descendit* e deo, deus extenditur, depravatur, ut natura fiat, apud hos natura *superbit*, quod existentiam sibi arrogat. Apud illos natura evolvitur instar arboris e germine, quod est Brahma, et mundus saepissime sub specie arboris fingitur; omnes mundi partes membra unius corporis sunt; apud Buddhaistas vero natura non est nisi copia rerum inter se non cohaerentium, copia lotorum in mari natantium. In doctrina Brahmanorum Brahma solum est omnia, mundus similis dominationi unius regis, ubi illud dictum: *L'état c'est moi* sensu proprio valet; in doctrina altera *multa* sunt omnia, ratio mundi est plane *popularis*. Apud illos gentis corpora graviter et severe inter se secreta, quasi rami ejusdem arboris, apud hos omnes homines, omnes gentes inter se pares. Mundus illis per se bonus videtur, quia Brahma ipsum solum omnia est, his vero per se malus. Brahmanorum prae ceteris interest scire, quomodo omnia exorta sint, Budhaistarum vero, quomodo exeant et evanescant; illis imprimis initium, his exitus rerum valet; altera doctrina magis theologica et ontologica, altera magis

teleologica; altera in idea dei absoluti perstat, nec re vera ad res finitas pervenit, altera in idea mundi sive rerum finitarum perstat, nec ad absolutum pervenit, imo ideam privationis, quae in rebus finitis inest, latius persecuta ad *nihilum* procedit, tanquam naturam veram omnium rerum.

Buddhaica disciplina igitur plane opposita est Brahmanicae. Tamen eadem idea in duabus inest. Duplici enim principio sublato, utraque disciplina id agit, ut *una* natura omnium intelligatur. Buddhaismus vero ex Brahmanorum disciplina exortus est. Brahmani enim in Brahma infinito triplicem quandam vitam inesse docent, cujus omnino nullam causam afferunt; nam in eo, quod omni qualitate vacat, nulla inest differentia; qua de caussa philosophi Vedantae hanc vitam ex deo exortam falsam et fictam esse recte affirmant. Buddhaistae vero res, quas existentes vident, negare nolunt, sed eas vere *esse* affirmant, negant vero illud unum principium, ex quo mundus aliter deduci nequit, nisi decipiendo. Ex principio Brahmanorum mundus existens comprehendi nequit; aut igitur Brahma aut mundus negandum; Brahmani negant mundum, Buddhaistae Brahma; illi tenent principium sine mundo, caussam sine effectu, hi vero mundum sine principio, effectum sine caussa; quoniam vero mundus sine caussa sit: ei existendi nec jus nec fas est, non *debet* esse. Quum vero exstet, injustus et malus est, miseriarum plenus, et hominis est, eum aspernari.

Sed quae differentia inter utriusque disciplinae principia, inter *Esse* Brahmanorum et *Non-Esse* Buddhaistarum, esse videtur, nobis rem acrius considerantibus omnino evanescit. Brahma enim, cui nulla omnino qualitas est, re vera non differt a nihilo Buddhaistarum. Nota illa sententia: *merum Esse est idem quod Nihil,* est caussa profundissima differentiae, quae est inter Brahmanos et Buddhaistas. Doctrina igitur Buddhaica nulla

alia est ac doctrina Brahmanorum, si hanc constanter consequeris.

Disciplina Buddhaistarum est summus et ultimus gradus ejus naturam rerum percipiendi rationis, quae non ab ingenio cogitanti et sui ipsius conscio, sed a rebus animo oppositis proficiscitur et iis solum nititur. Homo mente et voluntate in naturam sibi oppositam se conjecit, eam solam veram putavit; sed via recta eo pervenit, ubi via ipsa in contrarium flectitur. Dum homo res naturales tanquam veras comprehendit, natura rerum ipsa ei dissolvitur et vanam se praestat. Propterea, quod naturam externam solam tenebat, fugit eum illud, ex quo tota natura comprehendi potest, nec potuit eam non vanam habere. In natura externa opinatus est vera invenire, sed ante oculos quaerentis ea, quae modo vidit, in nihilum dissipantur; deam opinatus est amplecti, manus excipiunt nebulam. Ingenium hominis vera quaerentis pervenit in partem contrariam ei, ex qua cogitans profectum est. Homo se dedit naturae, eam recipiens, amplectens eaque fruens; sed fructu non gaudet; dumeta et carduos fert ager, ex quo vitae fructum se carpturum speravit. Natura pallescit magis magisque coram eo, qui magno fruendi desiderio eam amplexus est, usque dum tota evanescit et homo eo pervenit, ubi omne existendi gaudium ei denegatur, omnis vitae oblectatio ei vitio vertitur. Pro laeto fructu dolor, pro voluptate tristitia, pro oblectatione taedium, — omnia naturalia mala, tristia, contemnenda, fugienda. Naturae homo se dare voluit, natura ipsa eum repellit; quo vehementius eam sequitur, eo magis ab ea removetur. Natura hominis animum ab ipsa rejicit ad se ipsum; in illa homo non invenit, quae quaerebat, et ab ipsa cogitur, ut animum ad se ipsum vertat. In Buddhaismo ingenium ad id fastigium pervenit, quo iter flectens in contrariam partem progreditur.

In rebus externis homini nihil amplius quaerendum; ingenium egenum redditum est, quemadmodum Buddhaistae ipsi mendici sunt. Tota hominis vita apud Buddhaistas rationem humilitatis et animi demissionis prae se fert. Nova vero America ante oculos adhuc recondita, post tergum vero antiqua terra remota, et coram est nihilum et vacuum. Antiqui dii hominibus interierunt, vitae gaudium evanuit, sed novum ingenii liberi regnum sopore reconditus profundo.

Theses.

1) Et illi, qui homini voluntatem liberam esse negant, et illi, qui peccatum necessarium esse putant, virtutis studium tollunt.

2) Ars logica est psychologiae pars.

3) Theologia, quam vocant systematicam, philosophiae contemplativae pars habenda est.

4) Ioh. Scotus Erigena non deum esse negat sed mundum.

5) Philosophia Sankhya in plerisque cum doctrina Brahmanorum, in nonnullis cum Buddhaistis convenit.

6) Herodotus recte affirmat, Aegyptios primos immortalitatem animi docuisse.

7) Nullus animus sine corpore.

8) Historia philosophiae recte intelligi non potest, nisi conjuncta est cum historia religionis.

9) Ethica a religione separari non potest.

10) Deus creans se ipsum definit.

11) In deo omnia sunt necessaria, nec aliter agere potest atque agit.

12) Ea, quae sunt, omnino mala esse non possunt, neque ulla res, quae necessaria est, mala est.

13) Mundus neque aeternus est, neque ullum tempus fuit, quo mundus *non* erat; mundus neque infinitus, neque ullum spatium, ubi mundus *non* est.

Vita.

Natus sum Carolus Fridericus *Adolphus Wuttke* a. d. IV Idus Nov. a. h. s. XIX. Vratislaviae . e Henrico, cive et vestifico, qui duodecim annis post mo.. mihi abreptus est, matre Anna ex gente Hoffmannio , fidei evang. addictus. In gymnasio ad aedem St. M.r. Magd. rectoribus Kluge et Schoenborn V. V. D. D. decem annos institutus sum. Anno MDCCCXL Viadrinae civis s adscriptus, Rectore Magnifico Aug. Hahn, nomen dedi apud ordinem theolog. evang. Per quattuor annos sch tum theologicis tum philosophicis usus, tertio anno certamine publico ordinis theol. praemio ornatus, tres an educando et erudiendo operam dedi et examina pro ve conc. et pro ministerio superavi.